



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 26. Oratio matutina, & vespercina.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

nequaquam in nomine Salvatoris postulat. Rupertus in Matth. l. 5. in fine.

De hujus orationis expositione, laude, & efficaciam, tanta jam à sanctis Doctoribus dicta sunt; ut penè tædio sit ea perlegere. Veruntamen nec digna, nec sufficientia dicta sunt, nec usquam dicuntur. Tanta namque est hujus gloriose orationis profunditas in sensu, fecunditas in mysterijs, efficacia in effectu, artificialitas in processu, seu ordine; ut nemo capere valeat, vel eloqui. Dionys. Carthus. in Matth. 6.

Sanctificetur &c. Petitio, sanctificatio; donum sapientia; virtus pax; beatitudo filia-tio Dei; & vitium, contra quod, luxuria. q. d. da nobis spiritum sapientia, id est, jucunditatem internam; ut gustemus, quam suavis sis; & hoc generet in nobis pacem; & hoc contra luxuriam. *Adveniat regnum tuum.* Petitio adventus regni; donum, intellectus; virtus, munditia cordis; beatitudo visio Dei; & vitium, contra quod, gula. *Fiat voluntas tua.* Donum consilium; virtus misericordia; beatitudo misericordia consecutio; vitium, contra quod, avaritia. q. d. da nobis spiritum consilij; ut faciamus voluntatem tuam, maximè misericordiam, quæ perimit avaritiam, quatenus misericordiam consequamur. *Panem nostrum &c.* Donum fortitudo; virtus esuries justitia; beatitudo saturitas; vitium contra quod, acedia. q. d. da nobis spiritum fortitudinis, qui multiplici pane roborat animam, nè deficiamus in presenti, esuriendo justitiam; per quam expellentes acediam, plenà justitià saturabimur in futuro. *Dimitte nobis &c.* q. d. da nobis donum scientia, & virtutem luctus; quò tam nostra, quam aliena, peccata cogitemus, & desleamus; & ita consolationem habeamus contra invidiam. *Et nè nos inducas &c.* q. d. da nobis spiritum pietatis, & mansuetudinem spiritus; ut per spiritum pietatis vincamus tentationem; & per mansuetudinem iram; ut ita beati possideamus terram viventium. *Sed libera nos &c.* q. d. da nobis spiritum timoris; ut per illum vincamus mala; & per virtutem paupertatis spiritus bona adipiscamur: ut, exclusis vitijs, & contemptis terrenis, habeamus æterna. S. Bonaventura in Matth. 6.

§. XXVI.

Oratio Matutina, & vespertina.

Obtulerunt - holocaustum Domino mane, & vespere. 1. Esdræ 3. 3. Manè, & vespere, holocaustum offerimus per matutinam, & vespertinam, orationem. V. Beda l. 1. in Esdræ c. 3.

Quis sensum hominis gerens non erubescat sine psalmorum celebritate diem claudere; cum etiam minutissimæ aves solenni devotione & dulci carmine, ortus dierum, ac noctium, prosequantur. S. Ambros. hexam. l. 5. c. 7.

§. XXVII.

Oratio Matutina.

Prævenere oculi mei ad te diluculo. Pl. 118. 148. Cassianus dicit, matutinæ solennitatis officium novò adhuc tempore institutum primitus in Bethlehem monasterio, ubi D. N. J. Christus pro redemptione humanæ salutis ex Virgine nasci dignatus est: sicque ex illo per universum Mundum ejusdem celebrationis invaluit consuetudo. Diluculo oratur, ut Resurrectio Christi celebretur. S. Isidorus l. 1. c. 23. de Matutinis.

Cum sit hora diei tertia. Act. 2. 15. Spiritus S. venit horà tertià: quia in illa hora homines frequenter sunt jejuni, & sensus puriores; aptiores ad cognoscenda, contemplanda, ac recipienda dona Dei. Sylveira hic q. 17.

Cum surgis, manus, & faciem lavas; animam autem immundissimam negligis. Nescis, quòd sicut corpus aquà, ita oratione mundatur anima? S. Chrysol. in Pl. 5.

Tempore primitivæ Ecclesiæ ter surgebatur ad divinum officium: circa primum somnum. 2. circa mediam noctem; 3. paulò ante diem: nunc citius surgunt pueri, quam ministri Ecclesiæ; & prius cantant psalteres, quam Sacerdotes. Joannes Belehthus ration. div. offic.

Unio in concha. Lem: *A rore colorem.* Picinelli.

§. XXVIII.

Oratio nocturna.

Nocte vastata est Ar Moab. II. 15. 1. Nox habet quietem contemplationis; in qua 1. est ferventis amoris desiderium. *In lectulo meo per noctes quæsi, quem diligit anima mea.* Cant. 3. 1. 2. debita confessionis sacrificium. Pl. 118. 62. *medià nocte surgebam ad confitendum tibi.* 3. divinæ consolationis silentium. Sap. 18. 14. *cum quietum silentium contineret omnia.* S. Thom. Aqu. hic.

Quis vestrum habet amicum, & ibit ad illum medià nocte &c. Luc. 11. 5. Cur ponitur petens medià nocte, & non potius alià horà? S. Chrysol. f. 39. Ita satis hora est efficax impetrandi Sylveira in Act. 16. q. 10.

Media nocte Paulus, & Silas, orantes. Act. 16. 25. Nocturna oratio eorum tam Deo grata fuit; ut non solum eorum, sed aliorum quoque vincula fuerint soluta. Id. ib.

Si studentes doctrinis secularibus per parum somno indulgent; quantò magis, qui Deum cupiunt cognoscere, non debent somnò corporis impediri, nisi quantum natura satis est. S. Ambros. in Pl. 118. f. 7. Et nè totam noctem sopori existimes deputandam: tunc magis tibi orandus est Dominus. Tunc præsidia postulanda, culpa cavenda, quando videtur habere secretum. Tunc maximè, quando tenebræ in circuitu meo, & parietes me operiunt, considerandum: quia Dominus omnia in-tuetur abscondita. Id. ib.

Cur